

M E L I S S A



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa vobis multa felicia exoptat !



Vobis tot vota quot hieme sunt plumae nivis !

... Ceterum cur scholam frequentamus ?

☞ p. 2

... Museum Luparae pulcherrimas effigies
Aegyptiacas ostendit

☞ p. 3

... Ubi est in Interreti Latinitas ?

☞ p. 4

... Experientia quaedam didactica

☞ p. 5

... In Finnia Latini mores universitarii
redintegrantur ...

☞ p. 8

... Sicut ubique fieri solebat ante tria saecula

☞ p. 10

... Ecce quarta symbola de moribus antiquis

☞ p. 13

... Et multi libri Latini tempore Natalicio
offerendi

☞ p. 14

... Denique iam cogitatis oportet de Latinitate
proxima aestate exercenda !

☞ p. 16

DE UTILITATE SCHOLAE

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Nuper in quendam librum incidi, c.t. *L'école ou la guerre civile* (i.e. schola an bellum civile)¹. Cuius libri duo sunt auctores, alter diurnarius, alter, nomine Philippus Meirieu, Lugduni professor universitarius et consiliarius Francogallici administri publici Educationis nationalis. Ut patet ex hoc libro, post tot tantasque mutationes intra semisaeculum institutioni scholari impositas, ipsi regentes iam non sciunt ad quem finem tendat schola.

Legitur enim scholam, qualis nunc exstat in Francogallia, esse omnino obsoletam atque hac de causa funditus esse mutandam (iterum!). Hodie docere vix quicquam significat. Materiae quae discuntur nullam habent utilitatem praeter bonum exitum scholarem. Scribere et legere fastidiose discuntur; hoc modo incohantur repulsa, exclusio et submissio. Discipulus iam cum legere discit, contentionem invenit. Materiae quae discuntur imponuntur modo arbitrario. Magistri inhabiles sunt ad significationem quamlibet eis dandam atque omni praestantia hodie carent. Insuper hodierna institutio inaequalitates sociales non corrigit, sed eas perpetuat atque «rasismum culturalem» instituit.

Sed quid proponunt auctores ad tot tantaque mala tollenda?

Imprimis necesse est praeponderet res politica. Oportet schola sit omnibus obligatoria neque curet de futura discipuli destinatione professionali. (Notandum est in Francogallia et in Belgica solam institutionem adhuc esse obligatoriam, non scholam). Hic est scopus, ut possibilis fiat vita democratica. Discipuli discere debent una vivere sine violentia. Gradatim accedant adulescentes ad «sermonem socializatum» per rerum cognitionem et «legis aedificationem». «Cultura» est «aliter definienda». Qualis est culturae utilitas? Pertinet ad suam ipsius personam condendam, ad se ipsum cogitatione comprehendendum, ad ea exquirenda quibus manifestae fiunt similitudines inter omnes homines. Historia ergo est perpendenda atque de fundamentis societatis humanae est cogitandum. Redeundum est ad quaestiones fundamentales, i.e. ad eas, quibus ab animalibus differimus (!). Discant discipuli suas opiniones rationabiliter castigare.

Quid proponunt auctores ad huiusmodi

consilia exsequenda? Putant omnia imprimis pendere a magistris novi generis. Qui novus magister aptus sit ad classem omnino heterogeneam regendam et educandam. Tempus scholare iam non dividatur in horas singulis materiis dicatas, sed potius in semides. Ex discipulis (etiam novis?) exspectatur ut desinant se gerere tamquam «consumptores».

Speramus fore ut nonnulli lectores nobis patefaciant sententiam suam de propositis a Philippo Meirieu in hoc libro factis. Qui vir non est nemo, cum sit gratiosus consiliarius administri publici. Ego quidem breviter proponam nonnullas animadversiones generales.

Hodierni politici multitudinis suffragiorum studiosi decernunt omnes homines esse similes. Quod dogma humanae naturae omnique experientiae contrarium omnibus modis imponere conantur, maximopere in schola. Itaque a magistris petunt ut classes heterogeneas educant (iam non agitur de docendo). Discere tamen est omnino necessarium et non fit sine labore. Hac in re contentio iuvat. Cur enim respuitur contentio in rebus intellectualibus, cum accipiatur in rebus athleticis? Insanum est in eandem classem cogere discipulos ingenio vel studio nimis dispares. Meliores tempus perdunt, peiores non proficiunt. Selectio est necessaria, quia repugnante natura nihil succedit. Repugnant etiam parentes; exstat enim in Francogallia «charta scholaris», qua significatur discipulos scholam suae quemque regionis frequentare debere. Hac de causa in regione Parisiensi, exempli gratia, quarta pars parentum derogationem petere solet, ne liberi classes nimis ineptas patientur. Inaequalitates sociales ubique terrarum exstant, quodcumque est regimen politicum. Fieri non potest ut tollantur, sed bona institutio facere potest ut in ordinibus praestet bona educatio. Sine eruditione non exstat libertas mentis. Nemo sane iudicare valet, si ei deest satis ampla notitia rerum. Certe consilium est, ut schola bonos cives formet, sed hunc in scopum oportet in schola vigeat probitas atque opprimatur violentia.

De «cultura aliter definienda» etiam erit disputandum... ☺

¹ Ph. MEIRIEU, M. GUIRAUD, *L'Ecole ou la guerre civile*, Paris, Plon, 1997.



DE EXPOSITIONE PARISIIS VIDENDA

REFERT FRANCISCA DERAEDT

Si vobis est occasio Parisios petendi, videre certe voletis expositionem¹ pulcherrimis effigiebus dicatam, quae tempore Romanorum in Aegypto depictae sunt ad mumias ornandas. Ibi invenietis imprimis modos corporis medicandi et consecrandi, postea ornamenta mumiarum, denique quoddam sepulcrum «reconstructum».



Mulier iuvenis (c. 138-161 p.C.n.) depicta in tabula lignea. Haec pulcherrima effigies inventa est a. 1827 in regione urbis Memphis. (Parisiis in Museo Luparae)

His effigiebus, quae vocantur «effigies Fayumenses» propterea quod maior pars earum inventa est in illa regione (i.e. 60 chiliometris a Cairo, ad meridiem versus, ad Nili ripam occidentalem), his dico effigiebus artifices mirum in modum fingere valuerunt id quod desiderabatur, defunctos adhuc vivere contra mortem et contra corporis dissolutionem et nunc etiam contra duo milia annorum. Spectate, ut ad nos spectant! Eorum oculi ad nos directi sunt naturae tam propinqui, ut nos videantur re vera inspicere,

tranquillo vultu, quasi aliquid adhuc haberent dicendum, et nos tangant usque ad animam.

Eaedem effigies etiam ostendunt qualis fuerit Aegyptus sub dictione Romanorum. Graeci, Iudei, Asiani, Romani se miscuerunt cum Aegyptiis, suum cultum civilem coniunxerunt cum Aegyptiacis moribus. Quo fit ut in imaginibus alii praebent aspectum Europaeum, alii Africanum, ut alii habeant ornamenta Aegyptiaca, alii talem comptum capillorum, qualis colebatur in aula Romana. Tamen, quamvis vita eorum fieret cosmopolitana, funerariae quidem consuetudines manserunt mere Aegyptiace: nam non solum corpora condiebantur secundum mores veteres, sed etiam Anubis et Osiris defunctum comitaturi adhuc delineabantur in sarcophagis.

Sed fortasse quaeritis num illi homines hanc faciem re vera habuerint, quam in effigiebus videmus depictam. Tunc eatis Lugdunum Batavorum in Museum Antiquitatum. Ibi enim mirum experimentum fecerunt. Sciatis oportet museum Lugdunense Batavum plurimas mumias intactas ea de causa habere, quod saeculo praeterito rector musei, cum taenias cuiusdam mumiae evolveret videretque faciem inde



Puer (c. 98-117 p.C.n.). Londinii in Museo Britannico.


irreparabiliter esse laesam, vetuit ullam mumiam in museo postea denudari. Quare ceterae manserunt intactae, etiam illa puella, filia magistratus cuiusdam Thebaei, quae tamen inspecta est usque ad intima. Senaos - sic enim puella vocabatur - erat sedecim annos nata cum anno 109 p.C.n. mortua est. Eius familia, satis mixticia, lingua utebatur Graeca. Ut patet e supellectile funeraria in eodem museo servata, Senaos bonum exemplum praebet cultus civilis secundi saeculi, in quo mixta sunt elementa Aegyptiaca, Ptolemaica et Romana.

Ergo Senaos est X-radiis instrumenti scannerici investigata; sub taeniis intactis revelata sunt singula ossa et addita amuleta et technica corporis condiendi et imagines tridimensionales calvariae. Inde potuit forma calvariae refici; ipsa tradita est Richardo Neave in universitate Mancuniensi (v. Manchester) peritus huius rei, qui studiis et scannericis et archaeologicis nixus eam ornavit musculis, cute, labiis, oculis, capillis, inauribus. Et nunc scientifici exspectant, si parentes puerorum museum Lugdunense Batavum sint umquam lustraturi. Utinam illuc ire possent! Suam filiam procul dubio agnoscerent!

¹ «Portraits de l'Egypte romaine», Parisiis in Museo Luparae (v. Louvre) usque ad diem 4 m. Ianuarii a. 1999. Singulis diebus (praeter Martis diem) h. 9-20.30. Tel. 33+1 40 20 51 51.



Haec delicata mulier (c. 161-180 p.C.n.) inventa est Thebis in sepulcro quod dicitur fuisse familiae Pollii Soteris archontis Thebaei. (Parisiis in Museo Luparae)



DE LATINITATE INTERRETTALI

Amicus noster Robertus Demol (rdem6062@euronet.be) numeratur inter eos, qui putant Interrete magis magisque pertinere ad Latinitatem sicut ad multos vitae cottidianaes aspectus. Problema autem Interretis est duplex: imprimis diu quaerendum est ad aliquid inveniendum, postea permulti homines nesciunt alios esse in Aranea Mundana, qui cum eis libenter communicarent si eorum inscriptionem electronicam novissent. Quare Robertus noster opportune proponit, ut lectores Melissae qui cum ceteris communicare cupiunt, suam inscriptionem electronicam in his paginis patefaciant, atque ut ei, qui aliquid attractivi compererunt in Interreti, rem nobis indicent; mittatis haec omnia ad Melissam (guy.licoppe@pophost.eunet.be), quae ea divulgabit. Itaque vestros nuntios exspectamus!

Interea iam possumus nonnulla loca proponere inspicienda:

- Nuntii Latini Finnorum nunc ope Interretis multo facilius percipiuntur quam radiophono: antea iam legi poterant, nunc etiam optime auscultari, quandcumque vobis placet: <http://www.yle.fi/fbc/latini/>
- Retiarius est primum periodicum electronice divulgatum et totum Latinum; nec parvum! Vobis ab editore prof. Terentio Tunberg offeruntur permulta Latine legenda: <http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/retiarius/>
- Societas Latina: <http://www.uni-sb.de/phifak/fb6/stockmann/voxlatina/>
- S.A.L.V.I.: <http://www.latin.org/>
- L.V.P.A.: <http://members.aol.com/LVPA/>
- Grex Latine Loquentium (sive potius scribentium): latine@plearn.edu.pl



«APERI FENESTRAM, MAGISTER!»

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Haec est prior pars acroaseos c.t. «Penitusne renovandae sunt rationes Latinitatis docendae?» in conventu didactico Montellensi 29.4.1998 factae paululum retractata.



*«Ave, magister, dormiturus te salutat!»
(imago excerpta ex: Kallela-Oksala-Palmén,
Ad Fontes II, Helsinki 1982, p. 86).*

Iam in nono conventu Academiae Latinitati fovendae, qui aestate 1997 in Finnia celebratus est, idem argumentum examinabatur, ad quod tractandum nunc denuo Montellam convenimus: quo modo lingua Latina hodie docenda sit vel potius quo modo rationes eius docendae renovari oporteat, quo utiliora studia Latina discipulis atque etiam iucundiora videantur. In aestivis acroasibus iam complura audivimus digna, quae accuratissime deliberarentur; quorum potissima, ut ea in pauca verba contraham, censeo haec duo esse: 1) Latinitatem adulescentilis non solum ut linguam Romanorum antiquorum commendandam esse, sed posteriorum quoque saeculorum litteris Latinis eos erudiendos esse, ne quis eorum forte putet Latinitatem aut una cum Romanis antiquis perisse aut, si serissime, nostro saeculo vivere desiisse; 2) non ad ambages tortuosas grammaticae, quae discipulis nihil nisi odium et fastidium inician, eos induci debere, sed ad vivum usum Latinitatis. Nonnullos libros institutorios vidimus, quorum auctores manifesto haudquaquam dubitant vetera

renovare. Insuper Aloisius Miraglia una cum discipulis suis re demonstravit, quo modo praceptor linguae Latinae velut bonus mercator discipulis suis Latinitatem «venderet» sive iis persuaderet operae pretium esse vivam Latinitatem «emere». Nemo, opinor, inter participes conventus fuit, quin huius speciminis novitate aliquantum moveretur.

Una tamen res, quod intellegam, in acroasibus illis aestivis minus notabatur: varietas discipulorum. Non omnes elementis Latinitatis studere incipientes necessario eosdem fructus dulces ab huius linguae studiis exspectant. Si praceptor vere bonum mercatorem se praebere vult, memoria tenere debet varia esse desideria discipulorum. Iam inde ab initio studiorum sua quisque ratione «mercem» Latinam sibi praebitam observat, sicut emptores in tabernam venientes non omnes easdem res sibi comparare cupiunt, sed suum quisque indicem peculiarem habet mercium, quas sibi emat. Saeculis labentibus Latinitas in cultu civili occidentali vestigia impressit varii generis. Hac ipsa re fit, ut discipuli initio se velut ingens pantopolium Latinum intrasse sentiant, ubi mercium multitudine et varietate facile perturbentur. Tum praceptoris est imprimis claritatem in confusionem afferre et paullatim efficere, ut unusquisque eorum in labyrinthis pantopolii scite pervagari assuescat ac non modo illa reperire, ad quae requirenda eo venerit, sed etiam, si fieri possit, suo cum gudio novas res patefacere.

Quadamtenus nobis praceptoribus discipulorum sive clientium nostrorum legibus agendum est. In Universitate Granivicensi, unde iam in pensionem recessi, mihi varii cursus elementarii linguae Latinae quotannis moderandi erant, et perexigua pars discipulorum meorum ex eis constabat, qui nominatim desiderio Latinitatis pernoscendae in cursus meos nomina dederant. Longe plurimi erant hodiernis linguis studentes - non solum Romanistae, sed etiam qui Anglicae aut Theodiscae aut Sueticae aut Russicae linguae studere sibi proposuerant. Hi uno semestri elementis Latinitatis in Universitate Granivicensi erudiri solent ideo imprimis, ut vel summatim perspiciant, quam condicionem historicam Latinitas inter hodiernas linguis habeat, ac porro quantum Latinitas ad cultum civilem Europaeum

evolvendum valuerit et quantum vocabulari eadem hodiernis linguis velut pro hereditate tradiderit, simul tamquam notas systematis sui grammatici his imprimens. Maxima erat multitudo cursus elementarios frequentantium: singulis annis bini greges plerumque ex octogenis vel nonagenis participibus constantes, et ad singulos greges docendos praesto erant omnino minus tricenae horae. Itaque accuratissime mihi deliberandum erat, quidnam in talem cursum includere possem et quot res per se summi ponderis excludi necesse esset.

Novos discipulos primum conveniens summatim in linguam Latinam et in antiquitatem Graeco-Romanam introducere solebam. Specimen primum in appendice positum non est documentum authenticum: in originali plagula explicaciones Finnice scriptae sunt. Ipsam institutionem quoque Finnice incohare consueram. Si aliter egisset, fortasse chorus octogenorum adulescentium indignabundus una voce reclamavisset (Finnice scilicet): «Care magister, quid hoc est negoti? Putasne te imperatorem Romanum esse? At nos nequaquam ideo huc advenimus, ut cum Romanis antiquis iam pridem sepultis sermocinari disceremus. Desine igitur istas partes agere! Finnice potius loquare quaesumus et talibus rebus operam impendas, quae nobis hodiernas linguas discentibus maiori sint usui!» Nemo quidem umquam talia mihi reclamavit, quia ipse quoque in his cursibus loquelari Latinitati modicam tantum portionem caute dedicabam. Iam in prima lectione multitudini discipulorum in auditorio sedentium «Salvet!» dicere solebam atque eos rogare, ut «Salve!» responderent, itemque finita lectione ita agere assuescebamus, ut ego illis «Valete!» dicerem illique mihi «Vale!» responderent. Nonnumquam alias quoque phrases Latinas cotidianas, ut ita dicam, in lectionem velut furtim inducebam: e.g. suadebam auditoribus - et id quoque Finnice -, ut, si sentirent prae inopia oxygenii se spirare non iam posse, sua sponte mihi exclamarent: «Aperi fenestram, magister!» Talem iocum discipuli benigne acciebant et tria illa verba facile noscebant ac post lectionem, ni fallor, gaudebant, quod iam scirent sua sponte aliquid Latine dicere.

In initio cursus elementarii etiam, quo modo Latinitas pronuntiaretur et quallem rhythmum haberet, discipulis demonstrari oportebat. Ad hoc plerumque facilem textum Latinum - e.g. fragmentum fabulae de Orpheo et Eurydice narrantis - cum conversione Finnica iuxtaposita iis distribuebam et recitabam, sed aliquoquin eundem leviter tantum attingebam; nondum enim illi quicquam e structura periodi Latinae intellexissent, quamquam iam aliquot vocabula Latina, quorum derivata in hodiernas linguas transferunt, obscure noscitabant. Ita discipuli inde

ab initio sentiebant linguam Latinam multis modis - non solum ranarum per humum repellentium, sed etiam avium per aera volantium oculis - observari posse.

In elementariis igitur cursibus a magna multitudine discipulorum frequentatis omnia fere Finnice solebam docere. Sic tempus sufficiebat etiam ad varia historica et culturalia illustranda, quae in nulla institutione Latina neglegere licet. In iis antiquitas Romana primas partes agebat, sed, quotiens fieri poterat, saltus improvisos etiam in recentiora tempora faciebam - et quidem haud raro per simplices sententias alatas, quae iam tironibus faciles sunt intellectu, e.g. *Historia magistra vitae, Variatio delectat, Nomen est omen, Exceptio confirmat regulam, Divide et impera, Cuius regio, eius religio, Nihil novi sub sole*. In iis enim plerumque quasi in nuce inest nonnihil aeternae veritatis et sapientiae, eaedemque saepe sunt velut specula eorum temporum, quibus dictae sunt. Neque negari potest eas simul unum genus esse vivae Latinitatis. Non mirum, quod etiam, quibus Latinitas aliquoquin minus placet, miro quodam pacto iis delectantur atque ita ad linguae percipiendae studium attrahuntur. In grammatica quoque explicanda sententias alatas eximia instrumenta didactica comperi. Nonnullae earundem insuper iocosae sunt. Nuper discipulam quandam pristinam conveni, quae paucis ante annis cursui meo elementario adfuerat magnoque eum labore feliciter usque ad examen finale peregerat; quae mihi affirmavit se iam omnium rerum in illo cursu tractatarum oblitam esse, excepto lerido versiculo hexametro *Sunt pueri pueri, pueri puerilla tractant*.

Nunc ad alterum specimen transeo, cui titulus est *De monumentis urbis aeternae*. Tractantibus nobis hunc textum plerumque non iam supererant tot auditores - quadrageni aut summum quinquageni. Hos non solum textum Latinum interpretari docebam, sed etiam rerum historicarum et linguisticarum peritos reddere conabar. Interdum picturas diapositivas adhibebam, quo magis vivam imaginem monumentorum antiquorum animis eorum inculcarem; praeterea par erat extraordinaria quoque ad historiam monumentorum pertinentia narrare. Quidam discipuli sua sponte aliquid audire volebant de muro Servii, cuius reliquias iuxta principalem stationem ferriviariam Romanam hodie videmus; quaerebant a me, unde concludi posset eum tam vetustae originis esse. Nec minus materiae ad considerationes historicas praebebat statua M. Aurelii imperatoris in Capitolio posita, quae ad nostram aetatem non nisi ea de causa conservata est, quod diu statua Constantini, imperatoris de victoria religionis Christianae optime meriti, esse credebatur. In linguisticis rebus eligendis meminisse debebam plurimos auditorum meorum esse Romanicis linguis, id est aut



Francogallicae aut Italicae aut Hispanicae linguae studentes, atque ita eos erudire, ut lucide viderent Latinitatem esse matrem et fundamentum linguarum Romanicarum. Ipse quoque semper nova inveniebam exempla vocabulorum ad nostram aetatem pertinentium. Unum ex iis est substantivum Francogalicum *le croissant*, quod e verbo *croître* derivatum originem trahit e verbo Latino *crescere*. Hispani illud substantivum in suam linguam mutuati orthographiam eius ad sua linguae normas adaptaverunt (*le croissant* > *el cruasán*), sed praesertim incolae Americae meridionalis elocutione *la medialuna* uti malunt, Itali autem vocabulo *il cornetto*. Multis igitur ac lepidissimis metaphoris eadem res exprimitur; quarum sua quaeque ratione a forma et similitudine lunae crescentis deducta est. Ipsa vocabula cuncta Latinae sunt originis. Haud minorem copiam matris Latinae cum filiabus Romanicis comparandae affert verbum *manere* cum derivatis et compositis suis. E derivatis mentione dignum est substantivum *mansio*, cuius accusativus *mansionem* vocabulo Francogalloco *la maison* continuatur; e compositis *permanere*, cuius participium *praesens* fines familiae Romanae excessit, quin etiam in nostram Finnicam linguam

penetravit crinem artificiose undulatum «permanentem» significans. Hispanus autem praceptor alumno suo, quem nimis pigrum fuisse iudicat, dicere potest: *Te pongo una hora de permanencia*, sive imperare, ut post lectiones in schola permaneat et pro poena pigritiae sua per unam horam ibi praceptore custodiente pensis neglectis occupatus sedeat.

Haec sunt exempla rerum, quas discipulis non proprie Latinistis explicabam, credoque mihi contigisse, ut etiam eorum, quos pigebat, quod inviti linguam Latinam degustare cogerentur, multos taedio discendi levarem. Plurimi certe aliquatenus facilem textum Latinum legere discebant, ac nonnumquam profecto aliquis exclamavit: «Aperi fenestram, magister!» Fortasse inde concludere audeo me vel paucis participibus cursuum elementariorum non solum fenestram, sed etiam ianuam aperuisse in mundum vivae Latinitatis et ad continuanda studia Latina. Ad systematica vero exercitia communicativae Latinitatis in his cursibus nihil erat spati.


Aliter res se habebat, cum solos Latinistas futuros elementis Latinitatis erudiebam; de quo in altera parte acroaseos meae disseram. ☺

Continuabitur

Specimen I: Latinitas et quaedam aliae linguae Indo-Europaeae




Mater et tres filiae



E textibus iuxta positis facile vides inter Latinitatem et tres illas linguas (Francogalicam, Hispanicam, Italicam), quae ex ea evolutae sunt et filiae eius appellantur, maximam esse similitudinem. Ceterae linguae in specimine positae (Anglica, Theodisca, Suetica, Russica) fortasse consobrinae Latinitatis vocari possunt, nempe eae quoque sunt linguae Indo-Europaeae sive heredes eiusdem protolinguae vetustissimae. Cognatio earum imprimis in substantivo *mater* et in numerali *tres* conspicitur, quorum stirpes originales in omnibus linguis memoratis eaedem sunt.

Maioris autem momenti est, quod omnes hae linguae postea a Latinitate ingentem numerum vocabulorum mutuatae sunt. Praecipue lingua Anglica, in mundo hodierno principatum quendam consecuta, vocabulis originis Latinae adeo abundat, ut primo aspectu eam unam e linguis Romanicis putare possis. In scientifico textu Anglo talia vocabula sunt longe frequentissima, sed in cotidiano quoque sermone haud raro occurunt.

Specimen II: De monumentis Urbis aeternae



Reliquiae muri Servii et statua Marci Aurelii




...Temporibus liberae rei publicae - paene quadringentis annis ante aetatem imperatoris Augusti - illi septem colles Romani circumdati erant muro, qui murus Servii appellabatur. Ex eo etiam hodie paucae reliquiae supersunt.

Paullatim urbs crescebat. Diu tamen, quamquam erat caput orbis terrarum, Athenis et Alexandria multo minor manebat. Augustus demum eam ampliorem fecit et in quattuordecim

regiones divisit.

Trecentis annis post mortem Augusti Roma adhuc florebat. Erant ibi octo pontes, undecim fora, totidem thermae publicae, undeviginti aqueductus..., paene mille octingentae domus privatae. Viginti duae statuae equestres imperatorum ibi fuisse narrantur. Harum sola restat statua imperatoris M. Aurelii, quae nunc in Capitolio posita est.



IN HONOREM AUCTORIS HUIUS SYMBOLAE

De amico nostro Erico Palmén, qui hanc symbolam vobis proposuit, prof. Thomas Pekkanen Finnis haec nuntiat: 'Ericus Palmén noster cooperator Latinissimus die 28 m. Nov. a. 1998 dissertationem Latinam publicae censurae subiecit, ut apud nos moris est. Opus eius 'De adverbiosis pronominalibus localibus Latinis studia syntactica et semantica' Latine scriptum est. Etiam ventilatio operis publica facta est Latine, quod rarissimum est. Censor et ex officio opponens fuit prof. Birger Bergh Lundensis, prof. Thomas Pekkanen custodis munere functus est. Secundum morem apud nos a XVI saeculo traditum sed hoc saeculo a plerisque neglectum Erico Palmén gratulationem Latinam scripsi, quam ei inter festum, quod secutum est ventilationem oralem, legi.'

Ecce textus Gratulationis:

GRATULATIO DOCTORI ERICO PALMÉN DEDICATA QUI IN UNIVERSITATE GRANIVICENSIS DIE XXVIII MENSIS

NOVEMBRI ANNO MCMLXXXVIII DE ADVERBIIS PRONOMINALIBUS LOCALIBUS LATINIS DISSERTATIONEM LATINAM EXAMINI PUBLICO SUBIECIT.

Diem festum Granivici
celebramus nunc Erici,
qui praelecta lectione,
facta dissertatione
olim obiter notatam,
recens vix investigatam
rem ostendit omnibus.

De pronominalibus
scilicet localibus
studia syntactica
scripsit et semantica.

Verbis lucidis Latinis
res descripsit, adest finis.



Gratulatio poetica

Cum adverbia tractaret
et in greges congregaret,
singulorum vim monstravit,
omne genus indicavit.

Illuc, illac,
istuc, istac,
 huc cum illis iungitur;
istic, istinc,
hic, hinc illinc,
 illic non neglegitur,
hac vel istim,
istoc, illim,
 illo quoque dicitur.

Ibi notat et *ibidem*
eo iungit et *eodem*,
addit *ea* vel *eadem*,
 inde nec non inidem;
ex exemplis generales
sensus, modos speciales,
personales vel locales,
docet nos identidem.

Haec quidem demonstrativa,
sed et interrogativa,
eadem vel relativa
sensu vel indefinita,
congregat Ericus ita:

Ubi, quo, qua vel *ubique*,
iam apparent unicuique,
 utrubique neutrubi,
vel *utrimque* vel *utroque*
utro, neutro vel *utrâque*,
 ubivis vel *utrubi.*

Quoquam, nusquam, undecumque,

usquam, alibi, quacumque,
ubicumque vel *quocumque*
 vel quacumque noscitur,
aliquo vel *alicunde,*
undique vel *aliunde,*
alio vel *simplex unde,*
 res distincte discitur.

Usquequaque, quovis, quorsum,
et *utroqueversum, horsum,*
memorantur *altrovorsum,*
aliâ vel *aliorsum,*
 quaquam nec non *aliquâ,*
quoquooversus vel *istorsus,*
quorsus, additur illorsus,
nec omittitur *altrorsus,*
iungitur his *alterorsus,*
 rara licet aliqua.


Alicubi, quoquo, quopiam,
 vel utrinde, qualibet,
unde- / ubilibet, uspiam,
 tandem quaqua, quolibet.

Insunt in his elativa,
illativa, delativa,
aut quae dicas allativa,
vel videntur adessiva,
sensu quaedam strictiora
aliaque laxiora.

Doctor factus est Ericus,
laudes dicat Granivicus.
Granivicus dicat laudes,
Doctor merito nunc gaudes!
O Erice, Doctor facte,
tibi dicimus nos macte!

Tuomo Pekkanen

NIEBAUM-COPPOLA



ADMONITIO REI PUBLICAE: (1) SECUNDUM MEDICUM PULICUM
MULIERES NON DEBENT BIBERE VINUM PER GRAVIDITATEM
QUOD PERICULUM EST SUOS LIBEROS DEFICERE (2) CON-
SUMPTIO VINI DEBILITAT FACULTATEM OMNIUM AGERE
VENICULUM AUT AGERE MACHINAS. ET POTEST EFFICERE
DIFFICULTATES SALUTIS. INSTAR OMNIVM VINORVM.
SECUNDUM NATURAM HOC VINUM 'SULFITES' CONTINET

Gerardus Kotschenreuther hanc
schedulam ad nos misit, quam mirum in
in modum Latine scriptam invenit in
lagoena vini Californiensis. Venditores
vini Californiensis optime fecerunt,
quod consilia sua Latine scripserunt.
Duae tamen res sunt adnotandae.
Primo, eis non inutile erit Conventicula
Latina, quae flunt in America,
participare, ut Latinitas lagoenae
melioretur. Secundo aliiquid omiserunt
in schedula: vinum prodesse circu-
lationi sanguinis!



CARMINA HENRICI BASILII WIJNGAERT

(ALIAS DE WIJNGAERDE) O.S.A. (1596(?) - 1664) [II]

PROPOSITA A THEODORICO SACRÉ

1. Acrostichis Belgiae¹ deplorantis obitum Alberti [f. 59r]

Mediante mense Iulio anni 1621 ad plures abiit Albertus, Belgarum princeps; cuius in honorem et memoriam sesenta divulgata sunt carmina et orationes: cfr. W. Thomas - L. Duerloo (edd.), *Albert & Isabella 1598-1621. Essays* (Turnholti, 1998), passim.

Atra sepulcrali tegitur cur ara cupresso,	
Lumina flumina sunt? Quid passos tergore crines,	
Belgica nymphæ, geris, quid syrmata pulla? Quid humor	
Effluit ex oculis tantus? Quid naenia clamat?	
Responsum, mea nymphæ, velim: lacrimisque parumper	5
Tempera et effusis tergantur fletibus ora.	
Verba cupit dare, verba nequit: singultit et hiscit.	
Suspirabunda ² tandem sic voce locuta est:	
Deplange atque ulula mecum mea tempora, vates:	
Vir meus occubuit! Funesta heu morte peristi,	10
Xerxe potens, Numa sancte, togas, Auguste, reportans.	
Belliger aut David, Salomon aut pacis amator,	
Robore vel Sampson, forma vel pulcher Joseph,	
Austriades demum, princeps Alberte, peristi!	
Blande pater patriæ, Martis placator, amoenaæ	15
Adductor pacis, viduam me siccine linquis?	
Nunc rursusve meo manabunt sanguine rivi	
Torrebitque meos miles velut ante penates?	
In tumulum me ferte simul moriarque dolore	
Ægra, vel Albertum reddant mihi fata recentem..»	20

Bichronicon
ALbertVs oLIM DVX
nVnC heV VerMIs et pVtreDo

Acrostichis: Prosopopoeia *ante corr.*

2. Cum dedicaretur Bibliotheca Belgica amplissimo Domino Francisco Kinschotio, praetori Mechlinensi, Equiti S. Iacobi, etc. [f. 188r]

Valerius Andreas Desselius (1588-1655), iuris utriusque doctor, in studiorum universitate Lovaniensi et ius docuit et linguam Hebraeam in Collegio Trilingui sive Buslidiano.

Eidem viro anno 1636 Bibliothecae Academicae Lovaniensis praefectura est delata. *Bibliotheca* eius *Belgica*, qua scriptorum Belgicorum vitae et opera continebantur, Lovanii typis primum edita est anno 1623, aucta ibidem prodiit anno 1643: «Valerii Andreeae Desselii I.C. Bibliotheca Belgica: de Belgis vita scriptisque claris praemissa topographica Belgii totius seu Germaniae Inferioris descriptione. Editio renovata, et tertia parte auctior (Lovanii, 1643 = (Monumenta Humanistica Belgica, V) Nieuwkoop, 1973).

Bibliotheca Belgica missa est ad Franciscum Kinschotum, Francisci (1577-1651) filium, Ordinis S. Iacobi equitem, praetorem Mechlinensem.

¹ Id est Belgicae sive Belgii.

² Nomen adiectivum illud, quod in lexicis Latinitatis antiquae, mediae et recentioris desideratur, nescio an ab ipso Wijngaerdio sit conflatum.

Wijngaerdi carmen, quod e codice exscripsi manu scripto, in Valerii libro ipso typis edito inter liminaria reperitur, at aliquatenus mutatum et auctum hocque inditum titulo (f. [**4]V): «Ad Nob. et Generosum D. Franc. Kinschotum Franc. Fil. Urbis et Provinciae Mechlin. Praetorem &c.». Auctorem ibi pae se fert, quod magis mirere, Henricum Noulantium sive Vanden Nouwelant, iuris utriusque licentiatum et syndicum universitatis Lovaniensis (qui natus erat Westmalliae ca. 1615, obiit Lovanii anno circiter 1695: vide *Biographie Nationale*, 15 (Bruxellae, 1899), col. 935-936), poematiorum scriptorem admodum paucorum. Oritur inde quaestio, uter hoc carmen re vera scripserit. Qua in re vix haereo. Nam codex carminum Wijngaerdianorum multas hic exhibet lituras emendationesque: ergo versiculi sunt Wijngaerdiani. Noulantius autem admodum pauca divulgavit. Inde suspicor Valerium Andrean, *Bibliothecae* auctorem, Noulantium, virum in Athenaeo Lovaniensi paeclarum, cum prece adiisse ut opus versibus exornaretur; Noulantium, quod esset ipse Camenae cultor parum felix, a Wijngaerdo, Augustiniano Lovaniensi et viro venae uberioris, petivisse, ut rem pro se reciperet; Noulantio obtemperavisse Wijngaerdi. Neque hoc solum, ni fallor, carmen pro Noulantio exaravit Augustinianus; nam et carmen insequens, quod illius nomine fertur, huius manu est scriptum. Itaque haud scio an Noulantii nomen ex albo poetarum Belgo-Latinorum delendum iam sit atque eradendum. Ceterum iis temporibus interdum fiebat ut versibus subscriberet non qui scripsisset ipsos sed qui scribendos curavisset.³

Ordinis, ex vulgo non edite praetor, equestris, lux patris et patriae fama decusque tuae, gloria quem iuris dicundi et sella curulis clarat, equus, fasces quemque celebrat ebur, accipe scriptores populares, Belgica, praetor, nomina, tot Belgi lumina totque viros. Appellare deos, ob quos vadimonia praetor deserat, hos possim, nomina digna cedro. Gratum opus ignaris quid natio Belgica possit, scripserit hic quantos ille vel ille libros. In nuce non magna quandam fuit Ilias ingens clausa, opus Iliados, scriptor Homere, tuum. Millia scriptorum patriae (mirabile visu), parva tot auctores Bibliotheca capit. Belgarum mireris opus, quam nobile Codros vicerit ingenium doctaque penna sophos. Dicere ius, Francisce, tuum est, si nomina mastix invidus aut Belgas Zoilus ore petat: non tibi lictores frustra famulaeque secures, lege magistratus, inclyte praetor, age. Hoc, mihi quem studium Grudis sociavit Athenis, te per amicitiae vincula nota rogo.	5 10 15 20
--	---------------------------------

8 deserat: differat *ante corr.* 9 ignaris: est quidem *ante corr.* 10 scripserit hic: ediderit
ante corr. 12 clausa ... tuum: parva tot auctores Bibliotheca capit *ante corr.* 17 mastix:
rodat ante corr. 22 nota: sacra *ante corr.*

*Dif*fert aliquatenus carmen typis editum ab inedito: 3-4 sunt omissi in ed., in qua leguntur hi: stemmata seu patris species seu Bootia⁴ matris, / seu quo nunc floret praeside Belga rosam⁵, / seu decora Imperii, thalamos Lanschalsia dulces/ iunxit, Caesareis splendida imaginibus; / delicium Musarum ac sacri gloria Iuris, / Spatanis equitem quem sociavit Iber; / cuique aquilam fascesque suos sellamque curulem/ subdidit Imperio Mechela pulchra tuo: 5 Belgica, praetor: Belgica quotquot ed. 7 praetor: sponsor ed.

8 possim: liceat ed. 9 ignaris: haud gnaris ed. 9 natio: virtus ed. inter 14-15 inserti sunt versus hi: quos inter numerabis avum⁶, cui plurima famam/ consilia et nomen scripta perenne dabunt ed. 19
 lictores: sunt fasces ed. 20 lege ... age: regia crux humeros et latus ensis habet ed.

³ Cfr. D. Sacré, 'Verkenningen in een 17de-eeuws handschrift uit de recente aanwinsten van de Gentse universiteitsbibliotheek: poëzie van Aloysius Lauwenbach S.J.?', *Handelingen van de Kon. Zuid-Nederlandse Maatschappij voor Taal- en Letterkunde en Geschiedenis*, 50 (1996 [1998]), 115-139 (pp. 134-135).

⁴ Alluditur Margaritae de Boote, Francisci Kinschotii matri.

⁵ Alluditur Petro Roose (1586-1673) qui fuit principibus Belgii viris a consiliis etc.

⁶ Alluditur Henrico Kinschotio (1541-1608) iurisperito.

post v. 20 inserti sunt versus hi: Sic tibi longa trahant concordes stamina Parcae/ et ducant lenta fila
benigna colo,/ canitiem ut seram videas carosque nepotes/ qui proavos referant et simul ore patrem ed.
21 sociavit: coniunxit ed. 22 te ... rogo: appreco; haec voti est summa cupido mei ed.

3. Clarissimo Domino Valerio Andreae, iuris utriusque doctori, Bibliothecam Belgicam edenti [f. 188^v]

Huic quoque carmini subscrpsit Noulantius, quem diximus (vide supra ad carm. 2): (f. [**4]^r: «Ad Cl. V. Valerium Andream, I.V. Doct. et Prof. Regum, secundas curas Bibliothecae suaे Belgicae edentem»)

Aurea progenies, vos o clarissima Phoebi lumina, sidereum, Belgae, prodite, sub axem, quos tulit in fastos victuris fama papyris ordinibusque deūm virtus exculta per artes addidit, illustres animas, examina gentis. 5
Bibliotheca diis se vobis Belgica iactat, qualibus haud varios plumarum induita colores omnigenūm alituum subtilis America splendet, non Asia Eois gemmis redimita capillos, Africa nec monstris tam pulchris terra superbit. 10
O fortunatos, penna quos divite fama Herculeas ultra rexit Panamamque Peruque. Palladi sic parvus terrarum hic angulus orbis ridet et in Latum se Belgica vertit Iuli Caesaris, egregia qui laude et honoribus effert 15
Gallorum triplicum fortissima pectora, Belgas. Ille armis vos vicit at hunc populumque Latinum mille voluminibus, docta vicistis et arte. Omnia non omnis tellus fert: possidet omnes Belgica scriptores et Apolline digna locutos. 20
Sidera sint caelo, sint ordine fercula Getae ⁷ ABC, stellas tot Bibliotheca micantes luminaque obscuris ostendit Belgica terris, totque alimenta animi gustataque pabula doctis. Macte animis, a te, clarissime Belga Valeri, 25
lumnia tanta virūm sociorum exercitus haurit illustris scriptorum acies animamque resumit. Pollio tu nobis, Philadelphus et Attalus alter.

17 at: ast ed. contra metrum
melioris pabula gustus ed.

19 tellus fert: fert tellus ed.

24 gustataque pabula doctis:

**4. Ex Emblematum libro (anno 1624) [ff. 169^r - 171^v]:
Lovanium, magistra artium [f. 169^v]⁸**

Te, docta sedes artium, Lovanium, magistra iuris atque medicinae schola et officina docta Musarum, Dei scientiae haud ignara nec rudis, caput Brabanticae telluris antiquum, meis praeconiis laudare non satis queo! Tu fons, origo, sola doctrinae parens! 5

Pingitur Lovanium ut virgo rubris vestibus in lumbis linea alba,
a latere dextro Theologia, a sinistro Iurisprudentia, ab utraque parte
etiam artes liberales. *

⁷ Producta est syllaba prior.

⁸ Carmen hoc trimetris iambicis est exaratum.

DE MUNERIBUS SERVORUM (IV)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

SERVUS SUSCEPTOR

Ecce titulum cuiusdam sarcophagi tertii p.C.n. saeculi expositi in Museo Romano-Germanico Coloniensi (CIL XIII 8352):

D.M. VERECUNDINIAE. SIVE. SOIIONI. CONIUGI.
DULCISSIMAE. QUAE. VIXIT. AN(nos). XXVIII. ET.
VERECUNDI. NEDI. DESIDERIO. FIL(io). EIUS.
DESIDERATUS. CURMILLI. NEG(otiator). ARTIS.
LAPIDARIAE. C. VIVUS. SIBI. ET. IIS. OBITIS.
FECIT.

Desideratus servus Curmilli dispensator et susceptor erat; mercatura talium lapidum e.g. arcarum, sarcophagorum, columnarum, sculpturarum etc. maximi erat momenti magnique lucri. Tales officinae lapicidarum generatim extra moenia erant sitae secundum itinera publica i.e. prope coemeteria. Inde enim ab anno a.C.n. 450, secundum legem duodecim tabularum, non licebat mortuos intra moenia sepeliri neque uri («Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito»). Coemeteria ergo sita erant secundum itinera extra moenia; Coloniae longa erant immo vero 4 chiliometra.

Tertio p.C.n. saeculo in illa urbe circiter 30.000 vivebant hominum, ea de causa cottidie opus erat arcis, sarcophagis, aedificia publica erant erigenda, negotiatoribus artis lapidariae ergo nullo modo inopia erat mandatorum.

Desideratus neque ingenuus erat neque libertus, sed servus, qui peculio verisimiliter a domino accepto societatem bonis procreandis considerat. Peculum pars rei familiaris aut pecuniae summa erat aut officina aut fundus aut postulationes ad alios pertinentes. Fieri potest, ut Desideratus in patroni officina laborare perrexerit suis impensis suoque lucro quadamque parte lucri ad dominum pertinente.

Alius quoque aspectus huius sarcophagi magni est momenti: si qua femina Romana ingenua servo nupserat sua sponte, in servitutem se conferebat: serva facta est; non fiebat servi coniux, sed contubernalis. Talis femina sui iuris non iam erat. Infantes e tali coniunctione illegitima orti

secundum ius gentium non gestant nomen gentilicium patris, i.e servi, sed matris («Verecundinus»). Cognomen autem infantis ducitur a nomine patris («Desiderius»).

Ille lapicida mendum commisit in titulo insculpendo: postquam in titulo insculpendo litteras «Verecundi» incidit, cognomen «Desiderii» incidere coepit. Post tres autem litteras insculptas se mendum commisisse animadvertisit. Super illas tres litteras «Des» incidit «Nio», deinde nomen «Desiderio» denuo insculpsit. Colore rubro in titulo illito talia menda incisa non iam erant conspicuae quadam distantia.

Hic ergo agitur de coniunctione firma inter ingenuam et servum. Verisimile est dominum servi illi «matrimonio» assensum esse (quia servus loquitur de *coniuge sua dulcissima*). Secundum ius gentium ergo Desiderato non licebat voce «coniugis» uti. Forsitan ille sarcophagus non erat collocatus sub sole aut in quodam aedificio publico, verisimiliter in quodam hypogaeo subterraneo aut in aedificio privato. Ceterum omnia pendebant a necessitudine inter dominum et servum. Cur erat servus? Cur non libertus? Multi servi manumitti nolebant: condicione sociali contenti vitam suam prosperam continuare volebant (vide Tironem Ciceronis) quamvis essent servi. Desideratus noster insuper conscientius esse videbatur ponderis auctoritatis suae.

Et quid de nomine Desiderati? Desideratus nomen proprium est servile. Servorum nomina saepe pertinebant ad nativitatem: Optatus, Calvus, Speratus, Mancus, Strigo, Gemellus, etc.

Nonnulla verba sint addenda quoad officinas Romanas aetate antiquitatis serae. Novae formae officinarum oriuntur: industriae quaestuosae variarum dimensionum:

1) officinae magnae dimensionis, e.g. manufacturae magnae, quae in magnis urbibus mandatu publico agentes vectigalibusque exemptae praevalebant, in quibus servi, vernae, ingenui, fugitiivi, obaerati, feminae, infantes laborabant una cum faece populi. Uniformitas operariorum erat conspicua, i.e. agebatur quodammodo de consortio. Partim vincti ibi laborabant, praecipue in monetis, pistrinis,


molinis, lapicidinis. Non solum autem in urbibus, sed etiam ruri tales exstabant manufacturae magnae, praecipue in latifundiis, ubi coloni in semiservitute quasi feudalismi mediaevalis vivebant. Operae productivae aetate antiquitatis serae plus minusve ruri praestabantur. In urbibus autem propter structuram mutatam procreationis industrialis labor magis magisque fiebat liber: servis vix iam erat opus. Mox autem propter durissimas laboris condiciones motus operariorum oriebantur in illis manufacturis magnae dimensionis, quarum operarii generatim male qualificati renitentes insuper erant motibusque proni.

2) manufacturae mediae dimensionis: tales denique praevalebant manufacturae quarum patroni sive opifices filios suos ad studiorum mittebant universitates vernasque alumnos, i.e. infantes expositos, emebant, exercebant, excolebant, locabant, manumittebant; monopolium

venditionis fructus laborum illorum libertorum pertinebat ad patronos: usu fructus utebantur. Multi obaerati quoque filios suos patronis mittebant excolendos. Illis manufacturis mediae dimensionis meliores erant condiciones oeconomicae quam officinis permagnis. Mox autem illud quoque genus disparuit officinarum et

3) manufacturae parvae dimensionis se sustinebant, quia meliores iis erant condiciones oeconomicae, quia emptores habebant toto orbe terrarum et quia operarii manufacturarum parvarum neque renitentes erant neque male qualificati.

Ecce cyclum evolutionis. Expansio crevit parvarum officinarum ab ingenuis gestarum; vix iam opus erat servis (H. Schneider, Sozial- und Wirtschaftsgeschichte der römischen Kaiserzeit, Darmstadt, 1981, pp. 129 sq.)



DE NOVIS LIBRIS

Dr SEUSS, *Quomodo invidiosulus nomine Grinchus Christi natalem abrogaverit, in Latinum vertit G. TUNBERG, Wauconda, Bolchazy-Carducci Publishers, 1998, 63 pp.*

Et ecce Grinchus, cuius adventum iam nuntiavimus in Melissae fasciculo 85 (vide p.8-9), ad nos tempori advenit, ut pueris et etiam amicis minus iuvenibus dono possit dari occasione festi Natalicii! Grinchus est invidiosulus cui neque laetitia neque festum Natalicum placet; maligne statuit ipsum Christi natalem evertere; sed quid postea... nonne laetitia fortior est quam invidia?

Haec lepida fabula est in Latinum lepidissime conversa a Guenevera Tunberg, iuvante Terentio Tunberg. In fine libelli etiam invenitur lexicon Latino-Anglicum. Hic liber est sub arborem Nataliciam opportune ponendus!

Bolchazy-Carducci Publishers, 1000 Brown Street, Unit 101, Wauconda Illinois 60084 - <http://www.bolchazy.com>



E. GITTA, *Latine ludere, ed. du Tricorne, 1998, 85 pp.*

Stella Gitta, iam diu benevolia Melissae lectrix, miras schidas in lucem edit. Eis enim in animo habet non solum vivo modo linguam Latinam docere, sed etiam ludendo. Simul cum Sunniva des Bouvrie in universitate Tromsoana profestrice, Stella Gitta numeratur inter eos adhuc paucos, qui putant institutionis efficaciam augeri si lusoria etiam fit. Nonne Romani scholam vocabant «ludum»?

In praefatione a Genovefa Immè conscripta explicatur, quomodo auctrix ludos proponens vocabularium curet augendum, mores antiquos tractandos, textus Latinos facilius intellegendos; brevius dicam: quomodo utile coniungat cum iucundo. Hoc singulare opus procul dubio favebit renovationi institutionis Latinae.

Sunt autem genera ludorum propositorum quam maxime varia. Callidi sitis oportet! Alia sunt facilia, alia non ita! Sed, magistri, nolite timere: etiam solutiones in fine operis ostenduntur...

Editions du Tricorne, rue Lissignol 14 - CH-1201 Genève. Telecop. 0041 22 731 97 49.

W. STROH, W. BAIER, *De Melampode vate et medico*, ed. Bozorgmehri & Spann, 1995, 60 pp.

Hic liber pertinet ad seriem opusculorum, qua veteres fabulae imaginibus illustratae ita narrantur, ut intellegibiles sint discipulis qui solum duos tresve annos Latine didicerunt. Inter alia iam sunt editae nonnullae Ovidii Metamorphoses, cena Trimalchionis, calendarium Romanum. Hic agitur de illo Melampode, qui secundum mythologiam fuit vates a serpentibus afflatus; historia a Valahfrido Stroh Latine narrata est vere nitida, sicut delineationes (mirum: etiam serpentes sunt nitidi!); insuper proponit glossarium Theodiscum, Francogallicum, Anglicum et Italicum, charta geographica Graeciae et quaestiones, quibus magister potest discipulos Latine interrogare de historia perfecta.

Domui editoriae duas sunt inscriptiones cursuales: E. Bozorgmehri & R. Spann, Panoramastrasse 23, D-82211 Herrsching; A. Spann, 9 rue de Provence, F-84360 Merindol.

T. HELEN, K. KETOLA, *Latin lives! in Finland and beyond*, Helsinki, Edita, 1998, 182 pp.

Fortasse novistis librum variis linguis editum, cui titulus est *Latin for Businessmen*. Hoc opus est editio nova et aucta illius libri, non solum Finniae aptata, sed etiam ceteris. Anglice explicantur Latina verba, proverbia et sententiae quae utiles esse possunt omnibus negotiatoribus hodiernis. Nos autem, Latinistae, qui haec omnia aut pleraque iam novimus, gaudebimus quod Latinitas coniuncta est cum oeconomia et «rectitudine politica», atque librum offeremus amicis nostris negotiatoribus, qui falso putant Latinitatem ad se non pertinere.

Ed. Edita, P.O. Box 800, FIN-00043 Edita - <http://www.edita.fi>

J. NOVAK, *Aesopia*, ed. Consonance & Sodalitas Ludis Latinis Faciundis.

Feliciter adhuc exstat possibilitas pulchros Iani Novák modos musicos audiendi. Hac phonocaseta continentur sex Phaedri fabulae, pro quibus Ianus Novák anno 1981 composuit opus choro et symphoniacis paucis aut binis clavibus cantatum. Valahfridus Stroh libello adiunxit praefationem et textum Latinum cum versione Theodisca.

Prof. W. Stroh, Institut für klassische Philologie, Geschwister-Scholl-Platz 1 - D-8000 München.

E. & A. FORMAGGIO, V. BARANDOVSKA-FRANK, *Fasti Europenses 1999/2000*, ed. Europaklub.

Associatio «Europaklub», quamquam Europam counire vult linguā Esperanticā, Latinitatem tamen etiam respicit. Hoc libro habebitis vestros fastos usque ad finem anni bis millesimi atque singulis diebus discere poteritis novum verbum Esperanticum et Latinum cum versionibus vernaculis. Nationes Europaeae etiam describuntur et sua lingua et Esperantice et Latine. Denique explicatur quid sit «Europaklub», infeliciter solum Theodisce et Esperantice.

IfK/Abt. Verlag, Kleinenberger Weg 16 - D-33100 Paderborn.

T. Lucretius Carus, *Ontstaan, aard, structuur en werking van de zijnden*, Inleiding, vertaling en commentaar door A.P. DELEERSNIJDER, ed. V.L.O.T.

Tres iam exstabant versiones Nederlandicae operis Lucretii, omnes post alterum bellum mundanum editae; haec quarta versio facta a praeside associationis V.L.O.T. ampla introductione ornata est, qua explicantur difficultates Lucretii interpretandi et qua potius exponitur Epicurea philosophia quam textus minutiae. Lucretius opere suo sibi proposuisse videtur, ut remedium conficeret contra «terrorem animi». Hoc eius aequales iam sensisse videntur, cum Philodemus Lucretii opus intitularet Τετραφάρμακον. De ipsa translatione in liberos versus Nederlandicos non est iudicandum in periodico Latino.

V.L.O.T., Hippoliet Lammensstraat 82 - B-9000 Gent.

F. CABRERA, *Mexicus-Tenochtitlan, Mexico*, Vettoretti, 1998.

Cum in eo essemus, ut hunc fasciculum sub prelum mitteremus, ex altera parte orbis terrarum nobis allatum est hoc carmen Latinum. Franciscus Cabrera Latinis hexametris cecinit urbem suam, eius ortum et eius mirabilia, una cum versione Hispanica:

Urbs fuit arcanis florens gratissima terris,
Mexicus, uber opum, sceptri decus, horrida bello,
Cuius inauratas cristati principis aulas,
Ardua templa, forumque frequens, nitidosque penates
Advena certatim flagrabat visere turba...

Ed. Vettoretti, Calle Sol, 7 Col. Jardines de Cuernavaca, telecop. (73) 16 28 00.

LATINE LOQUI ...

❖ Seminaria Latina

In seminariis Societatis Latinae participes singillatim inducuntur, ut Latine loquantur. Themata quae tractantur sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna. Moderator peritissimus est Dr Caelestis Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talia seminaria suscepit prosperrime moderanda. Cum ipso iam ex anno 1986 cooperari solet D.rix Sigrides Albert, quae una ex parte tirones delectabiliter in consuetudinem Latine loquendi inducit, altera ex parte cum gregibus minoribus textus Latinos imprimis humanisticos et posthumanisticos legere, explicare atque interpretari solet.

In Belgica

7-14 m. Augusti a. 1999 Brugis in urbe pulcherrima, veterrima, historica, quae vocatur «Venetiae septentrionales». Nobis praebebitur locus media in vetere urbe situs, sed tamen remotus a turba periegetarum, iuxta tranquillum euripum (vide imaginem).

Scribatis ad: Gaius Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles

In Helvetia

25-31 m. Iulii a. 1999 Morsaci supra lacum «Quattuor regionum».

Scribatis ad: Societatem Latinam, Universität - FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)



❖ Duo Conventicula Latina in America

Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Conventicula ludimagistris, professoribus, omnibus, qui aliquam Latine sermocinandi et disputandi facultatem consequi cupiant, magno erunt subsidio et emolumento. Proderunt sessiones etiam iis qui Latine loqui sciant, sed qui occasionem expetant facundiae exercendae commodam et iucundam. Denique, id quod haud minimi momenti est, qui his interfuerint sessionibus postea invenient scripta Latina sese quodammodo facilius, citius, melius legere et intellegere posse - idque multo maiore cum fructu.

23-31 m. Mai et 23-31 m. Iulii a. 1999 Lexingtoniae in civitate Kentuckia.

Scribatis ad: Terentium Tunberg, Department Class. Languages, 1015 Patterson Office Tower, University of Kentucky, Lexington KY - USA (clatot@pop.uky.edu)

❖ Conventiculum Latinum de orbe Novo

26 m. Junii - 2 m. Iulii a. 1999 in pago Californiano «Oceanside». Ibi in hortis atrisque suavissimis veteris villae rusticae et ecclesiae Sancti Ludovici Regis optima quaedam Latinitatis Novis Orbis scripta (Sepulveda, Vera Cruz...) legentur et Latine tractabuntur. Dabuntur insuper permulta occasionses Latine de rebus quodlibetalibus amicaliter colloquendi, cum sit totius conventiculi ratio et finis ut ab horis matutinis usque ad vespertinas Latine tantummodo sermocinentur omnes.

Scribatis ad: Annulam Llewellyn Menn, UCLA Classics Department, Los Angeles CA 90095-1417 (nel@latin.org)

❖ Symposium Latinum

Hoc symposium fiet inter sessionem Academiae scientiarum internationalis Sanmarinensis atque dicabitur themati, quod est «Lingua Latina - lingua interdisciplinaris».

30 m. Augusti - 2 m. Septembbris a. 1999 Arimini in Italia

Si quis vult sive participare sive acroasin facere, scribat ad: Veram Barandovská-Frank, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn (telecop. +49 5251 163533)